

Sadducæâ. Atque per hanc dichotomiam intelligitur totum Synedrium.

Si verò & strictiùs rem sumptam velis, erant in Synedrio Scribæ, qui steterunt à partibus Phariseorum contra Sadducæos, qui tamen non forent de sectâ Pharisaicâ. Crediderim & Shammæanos & Hillelianos adversatos fuisse Sadducæis, omnes tamen fuisse Phariseos vix crediderim. Disputant illi & rixantur inter se frequentissimè in paginis Talmudicis, at nec hos nec illos favisse Sadducæis arbitrator, nec omnes favisse Pharisaismo. Sangvinolenta inter eos pugna refertur.

*Hieros. Schabb. fol. 3. 3. Shammæani (qui tùm erant numero plures) steterunt ab infra, atque interemerunt quosdam Hillelianos. Hoc factum est in domo Hananiæ ben Ezechiæ ben Garon, quem ægro- tantem venerunt visitatum. Amica certè visitatio.*

VERS. II. Οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρηῆσαι.

Hinc licentia & intimatio Paulo, appellandi Cæsarem. Rarius erat Judæo, appellare tribunal Ethnicum, & dirum malitiæ venenum sapuit, quòd Synedrium Salvatorem traderet judici Gentili. Paulus igitur, cum nullum evadendi modum videret aut locum, ex hac visione edocetur quid agendum.

VERS. 12. Μὴτε φαγεῖν, μὴτε μεῖν, &c.

Verùm quid si Anathematizatio vestra vestrùm irrita fiat, ut non possitis interficere Paulum, O boni, (quod & evenit) quid fiet de vobis miseris inediâ perituris? φεῦ, Nos, parùm de istâ re solliciti, habemus Rabbinos, qui votum nostrum solvent facilimè.

*Hieros. Avodab Zarab, fol. 40. i. לאחד שנדר מן הכבד ווי רלנת ייכור ווי רלנת ייכור* Homini qui vovit se abstenturum à cibo, *Ve si edat, Ve si non edat. Si edat, peccat in votum suum; si non edat, peccat in vitam suam; Quid ei hic faciendum? ילך אצל חכמים* Adeat sapientes, & illi solvent ei votum suum.

um.